

ipsius salutis, seu gloriæ, ut est finis ad quem ordinantur media, quæ sunt merita, seu gratia: si autem loqueretur de gloria, ut in semine, seu gratia, idem esset habere voluntatem de fine, seu gloria, atque habere voluntatem de gratia, seu de mediis, in quibus ut in semine continetur finis, seu gloria; et sic esset sensus quod ex præexistente voluntate finis ut contenti in mediis, seu ex præexistente voluntate mediolorum, et gratiæ, in qua continetur finis, vult et ordinat Deus gratiam, seu ipsa media. Egregium dictum! Quod etiam expresse ipse D. Thomas excludit in I, dist. XLI, q. I, art. II, in fine corporis dum dicit, quod: « Non dicitur quod gratia eligitur homini, dicitur tamen quod gratia prædestinatur homini. » Ergo electio quæ præsupponitur prædestinationi non est ad gratiam, quæ est gloria in semine, sed ad ipsam gloriam in se, quæ est finis ad quem ordinatur gratia. Denique, quod hæc voluntas præexistens de fine ante ordinationem mediolorum non sit sola dilectio finis, sed electio personarum ad illum. Constat ex ipsis verbis D. Thomæ: « Ad quod (scilicet ad voluntatem salutis, quam præsupponit prædestinatio) pertinet dilectio, et electio: dilectio quidem in quantum vult eis hoc bonum salutis æternæ, electio autem in quantum hoc bonum aliquibus præ aliis vult, cum quosdam reprobat: » illa ergo electio, quæ præcedit ordinationem mediolorum ad finem est electio personarum determinatarum ad gloriam. Quod expressit in quæstione VI de verit. art. I ad III, ubi inquit, quod: « Electio præcedit prædestinationem; electio enim, prout hic accipitur, pertinet ad ipsum, qui in finem dirigitur: prius autem est accipere illum, qui dirigitur in finem, quam ipsum dirigere in finem; et ideo electio in propo-

sito præcedit prædestinationem. » Ergo non solum velle beatitudinem, ut sic, et quasi in abstracto, sed velle beatitudinem, ut applicatam isti in particulari præ alio, et cum segregatione ab alio qui rejicitur, præcedit prædestinationem, seu præordinationem mediolorum, et consequenter præcedit merita, et gratiam, quia hæc datur per prædestinationem tamquam medium.

XX. Secunda vero propositio constat manifeste ex verbis D. Thomæ citatis, quia secundum D. Thomam illa electio ad gloriam, seu ad finem præcedit prædestinationem meritorum, et gratiæ, quæ non est communis reprobis, et prædestinatis, sed segregat istos ab illis: sed voluntas inefficax, seu complacentia simplex dandi gloriam est communis etiam reprobis, nec separat hos ab illis: ergo non loquitur D. Thomas de inefficaci electione, et voluntate, sed de efficaci. Consequentia est legitima. Minorem concedunt oppositi auctores. Majorem vero affirmat S. Thomas locis citatis, ut q. VI de verit. art. primo citato: « Electio, quæ præexigitur ad prædestinationem, est per quam ille qui in finem infallibiliter dirigitur ab aliis separatur, qui non in hunc finem diriguntur. » Sed infallibilis directio ad finem, et electio quæ separat ab his, qui in illum finem non diriguntur, non est communis reprobis, et prædestinatis ut de se patet: ergo non loquitur de illa electione seu voluntate communi D. Thomas. Et eodem modo dicit in hac quæstione, art. IV, loquens de eadem electione, quæ præcedit prædestinationem: « Quod electio illa præcedit in quantum hoc bonum aliquibus præ aliis vult cum quosdam reprobat: » ergo si hæc electio est voluntas volendi quibusdam bonum præ aliis, non est communis omnibus.

XXI. Tertia propositio ex dictis

patet, cum electio ad gratiam efficacem, et ad auxilia congrua sit voluntas circa media, cum per ista auxilia, et gratiam perducatur homo ad gloriam, ut ad finem, ordinatio autem de mediis ad finem habetur per prædestinationem, quæ sequitur ad dilectionem, et electionem ad finem, ut dicit S. Thomas; ergo electio ad gratiam efficacem, et ad auxilia sequitur ad prædestinationem, et electionem ad gloriam. Unde dicit citata quæstione VI de verit. art. I, in fine corporis quod: « Prædestinatio supponit electionem, et dilectionem, electio vero dilectionem; ad prædestinationem vero duo sequuntur, scilicet consecutio finis, qui est glorificatio, et collatio auxilii ad consequendum finem, quod est appositio gratiæ, quod ad vocationem pertinet. » Quare voluntas efficax collativa gratiæ efficaci, et auxiliorum non est quæ antecedit prædestinationem, sed quæ consequitur.

Cum mens S. Thomæ ita manifesta sit, adhuc conantur illum ad se trahere, et interpretari oppositi auctores. Et assignant duplicem explicationem.

XXII. Primam, quod S. Thomas loquitur de electione ad gratiam efficacem, et perseverantiam: nam, et ipse S. Thomas hic art. V ad I, concedit electionem gratiæ, et gloriæ, non tamen dicit electionem gloriæ factam fuisse ante prævisa merita, et ante prædestinationem gratiæ. Ita p. Vasquez hic disp. LXXXIX, c. XII, num. CXI, eandemque solutionem Molinæ, Lessio, Becano, Valentini tribuit Alarcon hic tract. IV, disp. II, c. X. Alteram solutionem tradit ipse Alarcon ibi, non fidens priori, quod quando dicit D. Thomas prædestinationem, seu ordinationem, et amorem mediolorum supponere voluntatem finis, seu gloriæ, loquitur de voluntate finis inefficaci, quæ est com-

munis omnibus, nec distinguit prædestinatos a non prædestinatis. Electio autem quam D. Thomas dicit præcedere prædestinationem, explicatur ab isto auctore, quod sit electio efficax, non gloriæ, sed mediolorum ad gloriam, quod probat ex illis verbis D. Thomæ quod: « Vult hoc bonum aliquibus præ aliis, cum quosdam reprobat: » sed in sententia D. Thomæ reprobatio non est voluntas excludendi a gloria, sed negandi tantum gratiam congruam: ergo voluntas in qua distinguitur specialiter prædestinatus a reprobo, non est voluntas efficax gloriæ, sed voluntas dandi uni media efficacia, et alteri denegandi.

XXIII. Neutra explicatio sustineri potest ad mentem S. Thomæ. Et primam tandem ipse Vasquez digerere non valens, eiecit III p. disp. XXIII, c. VII, num. CCXI, dicens, sibi semper esse persuasum D. Thomam in opposita esse sententia, licet in ea disputatione, in alio sensu eum expliare contenderit. Et c. VIII, num. CIV, ait id quod dixerat de voluntate efficaci ante merita dandi vitam æternam, et salutem, hoc est omnia auxilia congrua usque ad finem vitæ in universum: « Tantum, inquit, adduximus ut quoque modo S. Thomam explicarem, ne docere videretur efficacem electionem ad gloriam ante prævisionem meritorum. » Nos vero, inquit, neque illam voluntatem circa omnia auxilia prævenientia in universum concedimus, neque in ea disputatione ex propria sententia unquam docuimus: satis enim putamus inefficacem voluntatem circa beatitudinem per modum finis, et deinde efficaces præfinitiones circa auxilia prævenientia. Ita auctor hic a prima solutione in secundam declinans, et de D. Thomæ mente hoc tantum curans, ut quo modo explicaretur. Quid ergo oportet nos immorari in impu-

gnanda explicatione adeo menti s. doctori a versa, et quæ solum quoquo modo explicatio est? Sane ejus falsitas manifeste se prodit Nam s. doctor expresse in loco citato primi sentent. dist. XLI, dicit: « Gratiam non eligi homini, sed prædestinari. » Et deinde docet ante prædestinationem et ordinationem mediorum præcedere voluntatem finis, id est, gloriæ, ad quam pertinet electio, et dilectio, qua vult illud bonum, seu finem aliquibus præ aliis: sed auxilia, et gratia efficax, usque ad perseverantiam, sunt media quibus perducimur ad finem, non finis ipse: ergo illa electio quæ præcedit prædestinationem, seu ordinationem mediorum, non est electio ad gratiam efficacem, et ad auxilia quæ sunt media, sed ad ipsam gloriam, quæ est finis, non ut continetur in gratia, et in mediis; sic enim est voluntas mediorum, non finis. Nec obstat locus D. Thomæ ex hoc articulo quarto.

XXIV. Ad primam ducit quod in collatione gratiæ, et gloriæ attenditur electio, non tamen dicit electionem ad gloriam fuisse ante meritum, et ante prædestinationem gratiæ. Levis ponderatio. Dixerat id in corpore articuli, ad quid debebat repetere? Si enim paulo ante probaverat voluntatem finis præcedere prædestinationem, et ad hanc voluntatem finis pertinere electionem, quæ tale bonum vult aliquibus præ aliis, quid clarius ad ponendum quod electio ad gloriam est ante prævisa merita, et ante electionem, seu voluntatem dandi gratiam? Itaque electio attenditur in collatione gratiæ, et gloriæ, sed ordine suo: prior ex parte finis est electio ad gloriam, sed hæc influit in prædestinationem, quæ præparatio est mediorum, et inde derivatur voluntas dandi gratiam, quæ est medium ad illum finem: actus enim præcedens

includitur virtute in sequenti, ut docet quæstione sexta de veritate, articulo primo ad primum. Unde nec dixit S. Thomas dari electionem ad gratiam, sed in collatione gratiæ attendi, quia fit collatio gratiæ in virtute electionis præcedentis ad gloriam.

XXV. Secundam solutionem exclusivam supra syllogismo meo videri manifesto, ex verbis D. Thomæ composito, ostendendo secundam propositionem. Quod autem fatigatur ille auctor in explicando electionem quam D. Thomas ponit esse electionem mediorum, non ipsius gloriæ, frustraneus labor est, cum manifeste S. Thomas doceat quod illa electio præcedit prædestinationem omnibus locis supra citatis, sed prædestinatio est circa media, seu circa ea quæ sunt ordinanda ad finem, ut dicit in hoc articulo quarto et aliis locis citatis; ergo electio de qua loquitur non est electio mediorum sed personarum ad illum finem. Et expresse id docet S. Thomas, tum in hoc articulo quarto dum dicit, quod: « Electio pertinet ad illam voluntatem finis, in quantum hoc bonum vult aliquibus præ aliis; » ly autem hoc bonum, refertur ad finem, de quo paulo ante hoc usus fuerat: electio ergo illa est personarum ad illud bonum talis finis, non mediorum. Clarius quæst. VI de verit. art. I: « Præexigitur etiam electio per quam ille qui in finem infallibiliter dirigitur, ab aliis separatur qui non hoc modo in finem diriguntur. » Et solutione ad tertium: « Electio prout hic accipitur pertinet ad ipsum qui in finem dirigitur; prius autem est accipere illum, qui in finem dirigitur, quam ipsum dirigere in finem. » Quomodo ergo iste auctor potest interpretari D. Thomam de electione mediorum, cum tam evidentem loquatur de electione personarum ad finem,

ARTICULUS III.

Fundamenta ex ratione.

seu ad gloriam? Certe aut non vidit aut dissimulavit ista loca D. Thomæ, illa autem ponderatio, quam adducit ex verbis D. Thomæ cum quosdam reprobet, etc. reprobatio autem apud D. Thomam non est exclusio a gloria, sed denegatio gratiæ congruæ, omnino aliena est a mente s. doctoris cum expresse ponat reprobationem pro exclusione a gloria. Expresse enim dicit in hac quæstione, art. III quod: « Ad divinam providentiam pertinet ut permittat aliquos ab isto fine deficere, et hoc est reprobare. » Clarius in prima ad Annibaldum, distinct. XLI, quæstione unica, art. III: « Voluntati, inquit, divinæ de salute hominum duplex voluntas opponi videtur, scilicet de contradictorio secundum quod vult aliquem non salvare, et voluntas de contrario secundum quod vult aliquem damnare. Prima quidem voluntas non requirit aliquam rationem ex parte voliti, cum salvus gloriæ non sit debitum humanæ naturæ, sed voluntas damnationis respicit rationem voliti in damnato, cum damnatio ex debito inferatur. » Ergo si negatio gloriæ antecedit omnem rationem ex parte voliti, datur ante negationem gratiæ. Et sic tandem D. Thomas quæst. VI de verit. articulo primo ad ultimum dicit quod: « Reprobatio directe non opponitur prædestinationi, sed electioni, quæ qui eligit, unum accipit, et alterum rejicit, quod dicitur reprobare. » Sed secundum D. Thomam prædestinatio versatur circa media, et confert gratiam, electio autem circa gloriam quam vult quibusdam præ aliis: ergo reprobatio est exclusio gloriæ, priusquam sit denegatio gratiæ. Ergo illa explicatio est contraria D. Thomæ.

I. Ut fundamentum hujus sententiæ aperiatur, illud præ oculis habendum est, quod in illa voluntate electionis ad gloriam, et dilectionis ipsius finis, non negamus merita futura contineri, et attingi, sed tamquam effectus illius electionis, e media illius finis, non ut motiva ad diligendum finem, et eligendum unum præ alio, quasi Deus prius videat merita orta ex gratia, et ex illis moveatur ad eligendum istum ad gloriam præ illo, quia in hoc invenit merita gratiæ, non in illo. Sed dicimus quod Deus ex motivo suæ puræ misericordiæ, quam vult cui vult, et præstat cui præstat, et ex suo mero beneplacito elegit vasa misericordiæ ad regnum, et gloriam suam dandam illis ut coronam, et inde respexit merita ut effectum, non ut motivum talis electionis: hoc enim commune est omni intentioni, ut distinguitur a simplici voluntate, quod respicit finem, et vult illum, non absolute, sed relate ad media, et cum ordine ad ipsa, ita quod media non intrant ibi, ut motivum, et ut ratio prior ad finem, cum finis sit prima ratio, et id cujus gratia eliguntur media: si autem media rationem motivi indicerent, et rationem importarent volendi finem, essent tamquam id cujus gratia finis acceptaretur; et sic non se haberent ut media, sed ut finis respectu ipsius finis, quod repugnat. Quare media intrant ibi ut effectus, seu ut quid derivatum ex fine, ita ut finis sit ratio mediorum, et id cujus gratia media sunt volita, media vero ut volita in vi finis; et sic derivata ab ipso in genere voliti.

II. Cæterum est hic notanda valde